

*Amuli, qui quoniam, ut Cicero loquitur b) eo quod concupierunt, alius potitur ipsi carent, atque vel cum Cesare dignitatem comparare, vel cum Crasso augere, vel cum Pompejo retinere cupiunt i)*

*Exercunt pretiosa odia & constantia magno k) in eoque certamine vel frangi vel flecti coguntur. l) In omnibus quid præstiterit Romulus sigillatim dispiciemus.*

a) Cic. lib. 3. de Orat. sect. 164. b) Boeth. lib. 1. cap. 4 §. 3 expl. c) Plin. Panegyri. cap. 49. d) Claudian. ad Honor. Cæsar. 4. v. 281. e) Cicero. orat. 23. pro L. Murena n. 36. f) Ammian. Marcellin. lib. 29. g) Tacit. 3. hist. h) 4. Tuscul. n. 18. i) Flor. lib. 4. cap. 2. k) Ovid. Heroid. ep. 7. l) Böcler. not. polit. Tac. Annal. lib. 1. cap. 2. n. 10.

III. Suam profecto personam egregie commendabat originis divinæ commento: etenim *omnibus innatum est & quasi insculptum esse Deos a) eosque ut Aristoteles differit b) si vim spectes potentissimos, si decorem formosissimos; si vitam immortales, denique si virtutem præstantissimos.* Quos igitur quomodocumque divinæ naturæ participes esse crediderunt homines, his etiam omnibus votis & suffragiis maximum reverentiæ cultum, in Deorum honorem adjudicarunt. Plenæ sunt ejusmodi exemplis Poëtarum fabulæ, ubi certatim avos & proavos divinitati ascripserunt. Commodè se offert Locus Ovidii c) ubi Helena Paridis irridet jactantiam, ipsa ridenda

*Se ornabat  
1. Origine  
Divina*

*qui tibi gloria magna est*

*Quintus, is à nostro sanguine primus erit.*

Noverat id Alexander M. hinc optabat ut Indi quoque se Deum esse crederent, d) feliciores exinde sibi promittens bellorum successus. Neque vero ab omnibus superbia factum, sed potius necessitate existimamus. *Ubi enim defecit nomen illustre, Deum finxerunt e) ne victos ac stigmatibus notatos, & cauponibus ac sutores suo generi annumerare cogerentur. f)*

a) Cic. 2. Nat. Deor. b) lib. de Mundo cap. 6. c) Heroid. epist. 17. v. 60. d) Curt. lib. 8. cap. 39. e) Seneca de benef. 1. 3 cap. 23. f) Dio Prusæus Orat. 15.

IV. Quemadmodum autem circa Lunam fusæ stellulæ 2. No mine magnam nocturno tempore cœlestibus tractibus conciliant gra- Urbis. tiam; ita etiam Romulus noster variis consiliis indulgebat, quæ cap. 7. divinitatem hominum credulitate stabilitam magis magisque illustrare poterant. *Urbem à suo nomine vocabat: sive ut omnes*